



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia**

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

**Tomás <de Jesus>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1684**

Epist. VI. Sosipatro Sacerdoti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38621**

## EPISTOLA III.

&amp; documentum 79.

*Eidem Cajo.*

**Q**uærenti Cajo quam vim habeat hoc adverbium *repente*, quando dicitur de opere incarnationis, forte Malach. cap. 3. Respondet S. D. repente idem esse atque præter spem, & etiam quando quod huculque erat obscurum profertur in lucem.

Si quæras quomodo Deus manifestetur per incarnationem; & quomodo etiam incarnatio post istam manifestationem maneat mysterium occultum? Hoc ad alios pertinet: explicat tamen hic S. D. & late Theologi in 3. p. q. 1. agentes de cognoscibilitate hujus Mysterii.

V. Resolutionem 19.

## EPISTOLA IV.

documentum 80.

*Eidem Cajo.*

**E**xplicat quomodo Christus cum sit Deus, sit etiam homo, de quo etiam Scholastici cit. V. Resolut. 19.

## EPISTOLA V.

&amp; documentum 81.

*Dorotheo ministro seu Diacono.*

**E**xplicat quid sit caligo divina, per sequentes sententias Mysticas.

1. Divina caligo lux est inaccessa quam inhabitare Deus prohibetur.

2. Et cum quidem sit inexpectabilis, propter exuberantem supernaturalis luminis effusionem, ad hanc pertingit quisquis Deum nosse, & videre meruit.

3. Eoque ipso quo neque videt, neque cognoscit, in illo vere, qui visionem & cognitionem superat existit.

Circa primam, vide M. T. q. 1.

Circa secundam, quomodo pertingat ad istam lucem inaccessibilem, qui Deum videre meruit? supra diximus intelligi de vidente seu cognoscente Deum in hac vita, qui melius eum videt, quando non videt aliquid in Deo, sed cognoscit esse prorsus invisibilem & incognoscibilem pro hoc statu quo ad quid est.

Circa tertiam, quare dicat existere in Deo verè, quando quis neque videt, neque cognoscit? Perionius pro *existit* legit *versat*, id est, vere in Deo cognoscendo occupatur & exercetur: nam qui aliquid videt, potius existit, versat, & occupatur in creaturis, quarum imaginem videt, & ad cujus similitudinem Deum nititur cognoscere.

V. Resolutionem 42.

\* \*

## EPISTOLA VI.

&amp; documentum 82.

*Sospatro Sacerdosi.*

**M**onet illum, ut potius in veritate sua-  
mdenda, quam in falsis opinionibus oppugnandis laboret. Quia non eo ipso quod falsitas appareat, veritas innotescit: sicut non necessario cognoscitur esse hominem, qui cognoscitur non esse equum.

Ubi advertit D. Maximus non improbari à Dionysio studia Patrum in hereticis refutandis; sed non in hoc præcipuum studium ponendum esse, ut contra alios dicatur, sed ut eruditè & exactè veritatis ratio exponatur, qua bene cognita, errores evanescent. Exemplum affert Nestorii, qui dum Arii & Apollinarij placita convellit, in alias æque absurdas hæreses declinavit. Una est enim via veritatis, at errorum plurimæ: & qui ab uno errore declinat in alium potest incidere; qui tamen veritatem sequitur, omnes errores devitat.

V. Resolut. 66.

## EPISTOLA VII.

pro documentum 83.

*Polycarpo Antistiti.*

**N**e contentiosè agat cum infidelibus, sed veritatem stabilitat, qua falsitates eorum corrumpant: & ne etiam convicia eorum curet. Ubi etiam specialiter contra Apolophanem sophistam argumentum insinuat Polycarpo desumptum ex ecclypsi miraculosa, quam ipse Apolophanes simul cum Dionysio, dum essent in Ægypto juxta Heliopolim, tempore Passionis fuerat demiratus, & fateretur divinarum rerum vicissitudines fuisse.

De hac mirabili Ecclypsi meminisse Evangelista Marcus cap. 15; Luc. cap. 23. dicens: erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in universam terram usque ad horam nonam, & obscuratus est Sol. De quo miraculo plura dicenda nobis erant, nisi hoc esset extra chorum saltare: breviter tamen liceat advertere plura mirabilia in hoc miraculo contineri. Primum, deficere solem per ecclypsim seu per conjunctionem Lunæ cum ipso in eodem puncto ecclyptricæ: cum tamen eo tempore Luna distaret ab illo per dimidium cali in plenilunio scilicet, quando Pascha à Judæis celebrabatur. Unde necesse fuit in ea hora totum cursum peragere, qui quindecim diebus peragendus erat. Secundum, ecclypsim obumbrare totam terram, quod naturaliter non potest contingere: cum enim Luna sit minor sole, non potest totum solare corpus operire; & cum sit in celo seu in situ multo inferiori, solum potest facere umbram illis qui sub illa existunt in aliqua parte terræ directè sicut Lunæ correspondente. Unde necesse fuit, quod ab Angelis impedirentur in orbe solari radii illi, qui à Luna comprehendi non poterant: vel quod